



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Constitutiones Et Decreta Apostolica**

**Coloniæ Agrippinæ, 1679**

Clementis IX. Censura adversus librum vulgò dictum Rituel d'Alet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42459**

Anno à Nativitate D. N. JESU-CHRISTI  
1667. indictione quinta, Die vero 7. Maii:  
Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Pa-  
tris & D. N. D. ALEXANDRI divinâ provi-  
dentiâ Papæ VII. anno decimo tertio, supra-  
dictum Decretum affixum & publicatum fuit  
ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum &  
in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis &  
consuetis urbis, per me *Carolus Melanum* ejus-  
dem Sanctiss. D. N. Papæ & Sanctiss. Inqui-  
sitionis Cursorem.

S. D. N.

CLEMENTIS Divinâ Providentiâ Papæ IX.  
Censura contra Librum Vulgo  
dictum, Rituel d'Alet.

C L E M E N S

P A P A I X.

*Ad Futuram rei memoriam.*

**C**REDITÆ Nobis divinitus omnium Eccle-  
siarum sollicitudinis ratio exigit, ut  
ecclesiasticæ disciplinæ, cujus Custo-  
des à Domino constituti sumus, ubique con-  
servandæ jugiter incumbentes, omni cura,  
atque vigilantia præcavere studeamus, ne quid

G 2.

in

in eam irreat, quo quomodolibet turbari aut à præscriptis ritibus aberrare, & via erroribus aperiri possit. Cum itaque (sicut Nobis innotuit) anno proximè elapso typis impressus, ac in lucem Parisiis editus fuerit Gallico idiomate liber, cui titulus est, *Rituel Romain du Pape Paul V. à l'usage du Diocèse d'Alet avec les instructions, & les rubriques en François*; in quo non solum continentur nonnulla ab ipso Rituali Romano jussu fel. record. Pauli Papæ V. prædecessoris nostri edito, aliena, sed etiam doctrinæ quædam, & propositiones falsæ, singulares, in praxi periculosæ, erroneæ, & consuetudini in Ecclesia communiter receptæ, atque ecclesiasticis Constitutionibus oppositæ, & repugnantes, quarum usu, & lectione Christi fideles in jam damnatos errores sensim induci, ac pravis opinionibus infici possent: Nos opportunum huic malo remedium adhibere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, librum sub titulo Ritualis Gallico idiomate editum præfatum, auctoritate Apostolica tenore præsentium omninò damnamus, reprobamus, & interdiciamus, ac pro damnato, reprobo, & interdicto haberi volumus, ejusque impressionem, lectionem, retentionem, & usum universis, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, præsertim Civitatis

& Diœcesis Aletensis, cujuscumque gradus, conditionis, dignitatis, & præminentia ex- istant, licet de illis specialis, & individua men- tio habenda foret, sub pœna excommunica- tionis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ perpetuò prohibemus. Mandantes ut statim quicumque illum habuerint, vel in futurum quodcumque habebunt, locorum Ordina- riis, vel Inquisitoribus, qui verò Venerabili Fratri Episcopo Aletensi subsunt, Metropo- litano, aut uni ex vicinioribus Episcopis rea- liter, & cum effectu exhibeant, tradant, & consignent; qui nulla interposita mora exem- plaria sibi tradita, & alia quæcumque habue- rint igne comburant, & comburi faciant; In contrarium facientibus non obstantibus qui- buscumque. Ut autem præsentis literæ ad om- nium notitiam faciliùs deveniant, Volumus & auctoritate prædicta decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus no- stris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, illasque sic publicatas omnes, & singulos quos concernunt, perindè affice- re, & arctare, ac si illorum unicuique per- sonaliter notificatæ, & intimatæ fuissent; Ip- sarum verò præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus

Notarij publici subscriptis, & sigillo personarum in Ecclesiastica dignitate constitutarum munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud haberi, quae eisdem praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die ix. Aprilis M. DC. LXVIII. Pontificatus nostri Anno Primo.

*I. G. Slusius.*

Anno à Nativitate D. N. JESU - CHRISTI 1668. Indictione sexta, die verò 17. Mensis Aprilis, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divinâ Providentiâ Papæ IX. anno ejus Primo, supradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum Melanum Sanctiss. D. N. Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Curs.



S. D. N.